



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

XXXII. Der Propst Heinrich bezeugt, daß er dem Capellan Burchard und seinem Sohne ein Ackerstück in der Zauche überlassen habe, i. J. 1190.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

XXXII. Der Propst Heinrich bezeugt, daß er dem Capellan Burchard und seinem Sohne ein Ackerstück in der Zauche überlassen habe, i. J. 1190.

H.(enricus) dei gratia prepositus in Brandenburg et totus ejusdem ecclesie conventus. — Ad petitionem igitur domini marchionis Brandenburgensis et instantiam ipsius capellani Burchardi, sacerdotis de Nydicem, fundum solummodo molendini, jacentem infra centum mansos in Tzucha, quos marchio Otto Brandenburgensis pro anima uxoris sue Judithe marchionisse ecclesie nostre contulit, ipsi prefato Burchardo et filio ejus Hildebrando prefato prius nobis ab eis hominio in beneficio gratis concessimus sub eadem determinatione, ut si Burchardus alios filios genuerit, preter eum, quem nunc habet, ad ipsos beneficium non transeat, sed si predictus filius ejus heredem habuerit, ad ipsum solum hereditas sub tributo duorum modiorum majoris mensure siliginis sine beneficio devolvatur. Ut autem hujus pacti initi memoria presentibus et futuris temporibus oblivioni non tradatur, sigillo domini marchionis et ecclesie nostre sigillo communire necessarium duximus.

Nach einer Copie im Copialbuche.

XXXIII. Der Bischof Norbert verleiht dem Domcapitel das Dorf Marzahne, i. J. 1194.

— Ego Norbertus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus — inopie fratrum nostrorum de Brandenburg consulentes, villam Merscane cum tota decima et cum ecclesia ac dote ipsius, videlicet uno manso, et cum omnibus pertinentiis suis, scilicet silvis, pratis, pascuis, paludibus, cultis et incultis legitimo donationis titulo eis contulimus, sicut de morte Rodolfi de Jericho eam vacantem possedimus. Ut itaque hec nostra donatio futuris temporibus firma et inconculsa permaneat, seriem hujus negotii conferri fecimus eamque sigilli nostri impressione roboravimus, et ne quis eam infringat, auctoritate dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra, sub anathemate prohibemus, adhibitis idoneis testibus, quorum nomina sunt hec: Otto, marchio Brandenburgensis, et frater ejus comes Adelbertus, Sifridus, Brandenburgensis castellanus et frater ipsius, comes Bedericus, Henricus, Brandenburgensis prepositus, Hezelo, prepositus de Lezeke, Henricus, prior de Brandenburg, Henricus, custos, Hugo, camerarius, Gunzelinus, cellerarius, totusque ejusdem ecclesie conventus, Burchardus de Plozeke, Otto, burgensis de Brandenburg, Rodolphus de Wedinge, Henricus de Stegeliz, Bartholomeus, Alvericus de Stegeliz, Henricus, burgensis de Brandenburg, Conradus de Stoltenhagen et Heidenricus, frater ejus, Alexander, advocatus, aliique quam plures clerici et laici. Actum in ecclesia cathedrali Brandenburg, anno incarnationis dominice millesimo centesimo nonagesimo quarto, indictione duodecima feliciter. Amen.

Nach dem Original.